



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 38. Lotharingii Cardinalis sententia circa Papæ auctoritatem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XXXVIII.

Sæcul. XVI.

A.C. 1563.

*Lotharingii Cardinalis sententia circa  
Papæ auctoritatem.*

Huic epistolæ alius adjiciebatur libellus, in quo Vicecomes Borromæo hæc significabat: „Legati Senogallien-  
sem Episcopum ad Lotharingium Cardinalem supplicatum miserunt, ut Gallos Præiules flectendi medium ipse excogitaret: hic vero Episcopus Cardinalem accedens eidem exposuit, quod plura Concilia, dum de summo Pontifice loquebantur, illum *regere universalem Ecclesiam* edixerint, ipsemet vero sanctus Bernardus Episcopos *in partem sollicitudinis assumptos*, falsus fuerit. „Ad hæc reposuit Cardinalis: „agendi ratio, quam tenet Synodus, omnibus perspecta est, atque explorata quoque sunt consilia Patrum, necnon ea, quæ eorum quilibet, dum suam sententiam protulit, dixerunt: bene ergo perpendantur omnia, quæ proferuntur: nam allatæ sunt ex Galliis literæ, in quibus ea, quæ Tridenti propugnantur, carpuntur, ac plurimi de me queruntur, quod nimium indulgenter agam, ac præcipue acrius, ut par fuisset, insistere neglexerim, ut institutio ac residentia Episcoporum juris divini declaratur: retur:

*Lettr. anec.*

*1. Febr. p. 7.*

*89.*

*Sarp. p. 641.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1563. „retur: de cetero minime inferendum,  
„quod tum ad mentem cujusdam Au-  
„ctoris res decidatur, si quædam illius  
„verba adhibeantur, si aliunde ex ver-  
„borum ordine, ac nexu eorum, quæ  
„vel præcedunt, vel sequuntur, diver-  
„sus longe sensus eruitur, imo non raro  
„oppositæ omnino sententiæ emergunt:  
„non enim verba Gallis displicent, sed  
„sensus, cui per Canones auctoritas  
„conciliari quæritur, Galli autem nullo  
„pacto acceptare volunt illam clausu-  
„lam, in qua dicitur, quod *Papa uni-*  
„*versam Ecclesiam regendi potestatem ha-*  
„*beat*, quin imo si hoc deinceps propo-  
„netur, Franciæ Oratores reclamabunt  
„nomine Regis sui Christianissimi, nec-  
„non centum viginti Præfulum, qui sese  
„opponendi facultatem eis dederunt:  
„præcipue cum hæc opinio communi  
„Gallorum (\*) sententiæ derogaret; hi  
„enim Synodum Pontifice esse superio-  
„rem propugnant. „ His denique Vi-  
„cecomes addebat, quod hoc responsum  
ad Legatos fuerit delatum præsentibus  
pluribus Prælati natione Italis, qui  
una omnes censebant, haud consultum  
esse, ut Gallis scopum sibi præfixum  
attingendi, ac prætenfa sua jura agi-  
tandi copia præberetur.

§. XXXIX.

(\*) Non tamen communi Ecclesiæ sententiæ.